



M. l. 286^a
nicht verhebet
nicht PK

1) Rinarius, Joh.

nebst 21 - 40)

(No. 31 enthält
allein 20 Dissertationen)

2 mit Widmungen
an Ludolph

DEO DVCE ET PRAESIDE.

Theses

De

ARTHRITIDIS
PRÆSERVATIONE ET
CVRATIONE.

*Pro loco, in inchyto Collegio Medicorum,
celeberrima Academia Lipsiensis
consequendo.*

à M l 286^a

SIGISMVNDO SCHILLIN-

o Francostein. Sil. Philosoph. & Medic.

D. Publicæ συζήτησις subiectæ.

Ad diem 27. Octobris.

Anno μαρτυροῦντας. 1602.

os (*) so

Lipsiæ

IMPENSIS IACOBI APPELLII.

MICHAEL LANTZENBERGER

EXCVDEBAT.



DEO DICE ET PRAESENTI
Theses
ARTHRITIDIS
PRAESENTI
CYRILLI
Theodor
Schubert
M.D.
1800





I.

Vm geminas corruptionis causas homo in sinu foueat, alteras internas, ob principiorum remotorum perpetuam litem & contrarietatem, Arist. 1. Phys. 5. assiduum sc. fluxum: alteras extrinsecus incidentes, videlicet prouentum excretorum ex cibis assumptis, Gal. 1. d. san. tu. 3 & 12. non mirum hodiè superfluo & prauo victu vsq. adeo adaucto & exasperato, plurimos nulla habitatione coctionis vel cruditatis, noctis aut diei discrimine tam vitiosos succos congerere: ut rectè Hipp. 1. d. aff. Gal. d. Ren. aff. digno. & medic. c. 7. Auic. 1. 1. fen. 3. d. 2. c. 8. testibus, in senectate illi $\lambda\alpha\upsilon\sigma\alpha\upsilon\gamma\omicron\upsilon\varsigma$ & bibuli adolescentia peccata luant, succis vitiosis clàm sensimq. longa dierum serie auctis, qui in senectate leuissima arrepta occasione aceruatim apparent. Hip. 1. d. diata, morbosq. senissimos & mirè contumaces excitant.

II.

In quorum numero arthritidem esse illi haud inficias ibunt, qui hoc malo detenti de questione ei $\epsilon\iota\ \epsilon\sigma\tau\iota$ non querunt, cum magno suo incommodo id experiantur, calore natiuo debilitato, humido primogenio exhausto, & ita virili robore deiecto: quamuis enim assiduus ille fluxus retardari poterat, & superflua collecta expurgari. id tamen potuit commodius fieri tempore Gal. teste ipso. c. 28. aph. 1. 6. ubi pauci podagra laborarunt propter cultum aurea $\sigma\omega\varphi\omicron\sigma\omicron\upsilon\upsilon\eta\varsigma$, quo nomine & Plinius 1. 26. c. 10. podagram morbum peregrinum vocat: tamen coaceruatis in tantum excrementis, quibus corpus impurius redditur, profuse & effrenis suae libidinis pœnas persoluunt tali labore dignas, dum hostis acerbissimus in sinum receptus iugulo ipsorum insidiatur, & quod ipsi per vitæ moderationem facere debebant, pedicam

A 2 inycit

inijcit, membris articulisq; podagra ac chiragra contortis.

III.

Igitur cum in hoc seculo Ἰνδομητικῶ infinita penè sit arthriticorum multitudo: qua ratione hic affectus, qui doctissimos sæpè exercet medicos, cognoscendus, præcauendus, tollendus, mitigandus, duobus Medicinæ cruribus innixi, λόγῳ καὶ πείρῃ, certa methodo progredientes proponemus. Τῆς γὰρ αὐτῆς ζυνέσιός ἐστι ἢ πρὸς τὸ εἶδέναι τῶν νόσων τὰ αἷτια, καὶ τὸ θεραπεύειν αὐτὰς ἐπίστασθαι Hipp. de arte, τρ. β. ἢ μετὰ λόγῳ in præc.

IV.

Ἐννοία cuius est obuia. Arthritidem sc. esse nomen commune, & competere articuloꝝ dolorosis affectibus, quod quidem plures differentias à certis articulis denominatas comprehendit. Statim igitur ad ipsum τὸ ἢ ἐστὶ accedimus.

V.

Περιγραφή sit hæc. Arthritis est dolor partium nervosarum à solutione unitatis per fluxionem humorum decumbentium ad articulos, Gal. art. med. c. 80. & l. 10. s. g. c. 2.

VI.

Neg. est, ut hic quis pueriliter & vanè contendat rationibus, quæ ne minimam quidem ad curationem utilitatem afferunt, nihilq; ad opera artis conducunt, ut qui non respiciunt finem artis, 1. d. loc. af. 1. in rebus non in nominibus consistentē 6. d. loc. af. 5. 4. (qui omnia peruertentes serè vitam omnem nominibus altercando conterunt, d. differ. Sym. 1.) Vtrum hic affectus symptoma sit, an morbus. Quamuis enim symptoma sit ex Gal. 12. meth. 1. d. differ. Sy. 2. d. diff. morb. 2. 1. d. Sy. c. 1. ac ideo indicationes præcipuè curandi inde non depromantur: tamen cum symptoma ingrauescens curam ad se pertrahat, & doloris magnitudo quandoq; ita exacerbatur, ut in miseram vitam desperationem plerosq; inijciat, ad certum morborum genus referendum, ut liquidò constat ex Gal. 6. aph. 4. Paul. l. 3. c. 11. Aët. serm. 12. c. 6.

c. 66. Et quia intemperies cum materia: et quia ἐμποδιστικὴ πρῶ-
τη τῆς ἐνεργείας i. d. differ. sy. 1. 3. meth. 10. cum neq; sit absur-
dum, ut quid habeat rationē symptomatis, morbi, & causa morbi-
fica, πρὸς ἄλλο καὶ ἄλλο λαμβανόμενον. d. diff. morb. 12. 12. meth. 1.

VII.

Cum Gal. igitur ἀμφὸν εἰς τὰ χεῖσιμα τὸν χρόνον αἰαλίσκεν
σ. d. loc. aff. 5. ex quibus vel ad διάγνωσιν, ἢ πρόγνωσιν ἢ Θεραπεί-
αν fructum aliquem decerpimus.

VIII.

Cum autem nulla ferè actio laedi possit, nisi pars, à qua illa Subie-
ctum.
actio proficiscitur, afficiatur, iuxta i. d. loc. aff. 2. articulos se-
dem esse arthritidis, ipsa vox denotat: graeci ἀρθρον vocant, cum
πρῶτος afficiatur, sed ut quomodo dolor ibi concitetur, mani-
festum fiat, ossium connexio, quae tribus fit modis, exactè inda-
ganda.

IX.

1. Ossa sibi inuicem coalescunt sine alicuius materia in-
teruentu, ut in mollioribus & fungosis, modo intercedente ali-
qua materia, & dicitur σύμφυσις, ut in duris & siccioribus. 2.
per συνάρθρωσιν, quando quidem connexio fit, sed motu difficilio-
re & obscuriore. 3. per διάρθρωσιν, ubi motus est facilis, conspicu-
us & evidens.

X.

In prima igitur connexionione articulorum dolores non sunt:
in secunda rarissimè, ut si quando topi aut oedematosi tumores
gignuntur in articulationibus carpi aut metacarpij: sed propria
sedes arthritidis est inter membranas, nervos, tendines & liga-
menta, quae oriuntur à periostio sensum habente, & concurrunt
ad perfectam operationem edendam: quando vires cum nativi
calidi & spirituum dissipatione & resolutione deiectae non satis
è venis allicere nutrimentum queunt, aut attractum non probè
assimilare, neq; demum superflua à se propellere.

XI.

Ceterum ἔ μόνον ἴπισκοπεῖσθαι δεῖ τὸν πεπονητότατον τόπον, Cause.

Α 3

ἀλλὰ

ἀλλὰ καὶ τὴν αἰτίαν βλάβισαν αὐτὸν. 2. d. loc. aff. 9. ideo sciendum fluxionem illam, 6. aph. co. 28. & 6. de san. tu. 13. à duabus dependere causis ἐξ αἰάγκης, cum neutra harum per se & sola sit sufficiens ad effectum producendum. 1. ab articularum imbecillitate & laxitate. 2. à copia superuacui humoris in articulum influentis.

XII.

Imbecillitas articularum vel acquisitio vel hereditario iure nobis inhaeret.

XIII.

Iure natiuo. Cum enim ex ijs constemus, ex quibus nutrimur, sanguini autem humano characterismus sit impressus totius corporis, & proinde omnium partium: & ita principia constitutionis potestate omnium membrorum ideam habeant impressam. Anne locum habebit illud Gal. lib. 6. aph. c. 26. Qui patres & auos habuere podagricos aut arthriticos, foetus seminis pravi vitia imbibit, sicq; posterorum augetur imbecillitas, cum natura circa primordia vite aberrauerit. Et Arist. 2. d. ort. c. 10. τὸ γὰρ αὐτὸ καὶ ὡσαύτως ἔχον αἰ, τὸ αὐτὸ πέφυκε ποιεῖν.

XIV.

Rectè iccirco Fernel. adhortatur parentes sanos ad procreationem liberorum: Sicut enim, quibus Patres & aui in sua generatione robustiores & atatis vegetioris fuerunt, membra ijs fortiora sunt, principia enim testantur de principijs, cum semen genitale à sanis sanum, à morbidis morbidum excernatur. Hip. l. d. aere & c. contraria accidunt contrarijs, & hic prior modus.

XV.

Et si tempore conceptionis nihil labis contractum sit, tam è principio actiuo quàm passiuo nostrae constitutionis, quod operationes animae absolutissimae ostendunt: possunt tamen & à conceptionis tempore disponi articuli ad ἀδένειαν quandam acquirendam: ut si lactantes frequenter prauum assumant alimentum, vel crebrò venere abutantur, cuius vi ligamenta euadunt laxa, frigida, humida, & consequenter apta ad suscipiendas superfluitates.

Ius

XVI.

Ius ascititium duplexes habet causas, easq̄, vel externas vel internas. Externa internis introducendis occasionem præbent, & sunt homini ineuitabiles, quas cum varijs de causis distemperari contingat propter προφύλαξιν indicanda, siue necessario, siue non necessario occurrant.

XVII.

I. Quod aëris & regiminis naturam spectat, μεγάλαι μεταλλάγαι φύξις ἢ θάλασι iuxta 3. aph. 1. hoc malum causare possunt: αἷς γὰρ μέγιστός ἐστιν ἐν ἀπασι τῶν συμπτωμάτων δυνάτης Hipp. lib. d. flat: & qualem aër naturam habet, ita nos afficit. Gal. 2. d. cris. 3. Aegin. l. 3. c. 78. Holler. lib. 6. aph. com. 30. sic. e. g. dum in glacie nudis pedibus voti reus Aeneas Syluius ambulasset, podagra corripitur, referente Campano in eius vita.

XVIII.

Alimenta κακόχυμα & δύσπεπτα si quis copiosè ingerat: diuersa in vna mensa delicia, auctis hoc tempore numerosis edulij, ut ijs nihil superaddi posse videatur: cum quo conuenit illud Iulij Cesaris Arantij: Qui lautius viuunt, nihilq̄ aliud cogitant, quàm ut ventri & Veneri indulgeant, illi plerunq̄ in arthritidem incidunt.

XIX.

Et cum hodiè conuiuamur, noctem ferè totam bibendo insumimus: imò multi ingluuiei dediti etatem transigunt: non adeò mirum si arthriticorum numerus indies augeatur. Ventriculi enim quies ab importuno subitoq̄ post cibum motu, dum modo hæc modo illa pocula exhauriuntur, interturbatur: cibus in eo contentus hinc inde agitur, ut assumpta non arctè complectatur Gal. 3. d. natura. fæt. 4. 4. d. san. tu. 11. Calore ita dissipato, concoctione impedita, quis non corpus alioqui εὐεκτικὸν crudis repleti succis & κακόχυμον reddi videt.

illi

XX.

illi abdomini ita mancipati, & ὑπερβολικῶς semper appetentes, strenuè confirmant id, quod in ore est omnium Medicorum: repletionem sc. esse matrem omnium agritudinum materialium, præsertim podagra.

XXI.

Vina quidem moderatè sumpta, maximè fouent ac roborant. 3. d. temp. 2. sed potentia & generosa superfluè ingesta nervos enervant & replent facillimè. s. aph. co. 5. propter calidam naturam, quæ promptè omnia subintrat: ideo ad fluxiones suscipiendâs disponunt: maximè omnium, si quis ieiunè ea potauerit, promptissimè nervorum substantia offenditur.

XXII.

Mira etiam sumit incrementa hoc malum ex immoderato usu τῶν ἀφροδισίων: cur enim filiam Veneris Poëta vocarūt podagram, nisi quod actus venericus frequens arthritidis sit προκαταρκτικὴ: 6. aph. co. 26. & quidem maximè post sumtum cibum statim cruditates efficit, à quibus podagra ortum habet, teste Auic. Intemperies illa vehemens illi: a membris, vires elidit. 3. d. sy. c. 1. 3. Epid. c. 3. par. 87. τὸ θερμὸν ἐμφυτον, quod ἐκκρατον θερμὸν vocat, 2. d. na. hu. co. 13. labascit, cum partes nutriende purissima parte fraudentur, corpus frigidius, imbecilliusq. reddatur, Arist. 4. prob. 17. 3. d. san. tu. 11. 6. de san. tuen. 14. accedit etiam voluptas, quæ vel sola adeo idonea est ad spiritus vitales dissoluendos, ut nonnulli nimia voluptate affecti interi-erint.

XXIII.

Somnus immoderatus, meridianus præsertim, decubitus super dorsum, testim. Auic. lib. 1. fen. 3. dr. 2. c. 8. fluxione tentatis est pestilens. Vigilia nimia βραδυπεψίαν καὶ ἀπεψίαν teste Hipp. 2. d. vict. ac par. 56. causantur.

XXIV.

Exercitijs ad digerendum & calorem suscitandum condu-
cen-

centibus intempestivè institutis, fasis humoribus & reseratis
meatibus: aut intermissis, ut vita sedentaria et otio succi vitiosi
plurimi congeruntur.

XXV.

Inanitione nimia sanguinis, ad nutrimentum maximè con-
venientis, articuli summè debilitantur. Mæroribus, curis, vigi-
lijs, & reliquis animi affectionibus. Paul. l. 3. c. 78. partim arti-
culi debilitantur, partim copia superuacua materia suggeritur,
& ut ad fluxionem sit paratior, impellit. De balneis vide 1. d.
symp. c. 8. 2. d. temp. 2. & 3. d. loc. aff. 5. nam res non naturales di-
etæ omnes dextrè adhibita profunt, sinistrè verò obsunt. Hipp. l.
d. arte. Gal. 6. Epid. 5. c. 1. art. medic. c. 85.

XXVI.

Cause interna antecedentes sunt humores multitudine
sua gravætes, aut mala qualitate irritantes: cuius rei testis Gal.
6. d. tu. san. 1. vel ut loquitur l. 10. d. comp. m. s. l. c. 2. πλεονεξία
χυμῶν κατὰ λαμβάνουσα τὴν πάχυσαν διάφρασιν. Vitiosus enim
succus longo tempore auctus graves minatur morbos. Eorum a-
lijs diuturni morbi incidunt, quibus se tota vita explicare ne-
quit, cuius generis mala sunt, podagra, morbus articularis &c.

XXVII.

Vbi primò omnium consideranda est occasio humoris fluen-
tis, cum teste eod. ἀνάμφοσθήτητον sit, dolores arthriticos à flu-
xione humorum decumbentium ad articulos fieri.

XXVIII.

Et cum fluxio sit certi humoris fluxio: Et verò αἴτιον τῶν
αἰτιῶν ἐκ ἑστὶν ὁρθῶς ἐνὶ σφαιραπείᾳ πρὸς τὰ πάθη τὴν διαπερίαν. Gal.
l. d. intr. c. 7. ut eius natura & origo exactiùs intelligatur 1. in
specie materia effectrix propior affluxu suo articulares morbos
procreans consideranda. 2. Via per quam fit affluxus. 3. mem-
brum mandans, à qua materia ad fluxum idonea concitatur.

XXIX.

B

1. 108

1. ὡς τὸ πολὺ χυμὸς φλεγματώδης, ut loquitur: Gal. ἢ ἰδί-
ως ὀνομαζόμενος ὡμὸς Πικραλεῖ: liquato enim & attenuato
crasso & crudo illo humore mistione bilis, excrementitium illud
in vincula, membranas & tendines sensim delabitur, illicq; sese
insinuat & non sine dolore distendit, interdum consumto tenui
& liquato succo, pristinum acquirit lentorem, ut quandoq; in
tophos concreseat.

XX X.

2. Concoctio si remanet diminuta, cruditas humorum &
sanguinis serositas subsequitur: ideo & in omni arthritidis spe-
cie excellentissimus Crato suspectum habet serosum humorem in
ep. in sol. 710. 281. 282. 600 & alibi: huncq; supra modum in
corpore auctum, & vel cum putredine, vel alio modo corruptum.

XX XI.

3. Sanguis primario peccans dolorem articulorum inflam-
matoriū efficit: vel permistum bile, vel pituita: bilis enim since-
ra causa non esse potest, quia potius ulcera excitaret, & propter
tenuitatem potius ad cutem ferretur procreando Erysypelas: 4.
neq; succus melancholicus si solus sit in vitio cum γλυχρότον
χυμῶν minus commodè sese in penitiores ossium, membranarum
& compaginum partes insinuare valeat, sed sunt μικτοὶ χυμοὶ
ἐκ φλεγματώδους τε καὶ χολώδους, ἢ καὶ σὺν αὐτοῖς αἵματι.

XX XII.

5. Halitus fumosi ex imperfecta concoctione prodeuntes
ad caput sublati, & quia vim habent vehementem caput alte-
randi, rursus ob cerebri frigus in humorem aqueum condensan-
tur, atq; insigniter cerebrum humectant, ubi causa presentissi-
ma fluxionum in subiectos articulos datur: huc etiam quidam
referunt occultam quandam malignitatem. vide Par. d. ar-
thrit. lib. 17. c. 2.

XX XIIII.

2. Via per quas fluxio defertur ad articulos, sunt vel ma-
nife-

manifesta, vel minus patentēs: manifesta ut vena, unde fluxione
ibi concitata tumidiore evadunt, minus autem patentēs sunt
musculi.

XXXIV.

3. Membra mandantia. 1. caput & cerebrum, unde de
stillationibus obnoxios frequenter hi dolores exercent, alijs præ-
sertim, ijsq; consuetis vijs interceptis: Sed non ab his tantum,
ut quidam recentiorum statuunt, cum non hos dolores semper
precedat gravitas capitis, tumor cutis, somnolentia & frigus.

XXXV.

4. Sed & ventriculus, Iecur, Renes, intestina, dum robusta
hæc membra substantia proprietate à natura sibi destinatas
functiones perficiunt. 6. d. pl. 7. & 8. 7. d. adm. anat. 8. attra-
hunt, retinent, digerunt, concoquunt, alterant, expellunt: ideoq;
nihil cause, cur morbose affectus concitentur: sed τῶν αἰσθητικῶν
καὶ δυνάμεων κατὰ τὰ ἀνάγκη τὴν δύναμιν. 3. d. symp. c. 1. ideoq; se
congerantur excrementa superflua, propelluntur noxia ad partes
infirmiores, inde illorum membrorum dolores in articulares ter-
minantur morbos: partes autem infirma resistere non valentes
vitiosum succum à fortioribus propellentibus recipiunt, ut Gal.
6. aph. c. 5. docet.

XXXVI.

Potest & ab hemorrhoidibus, item à vitijs uterinis hic do-
lor causari: suppressis etiam menstruis mulieres facile articulari-
bus possunt tentari doloribus. Hip. 6. aph. 29. Viri item, quibus
marisca occluduntur, podagra tentantur.

XXXVII.

Cause coniuncta rationem obtinet id, quod dolorem prodit,
ut dum articulorum cavitate repleta in articulo imbecilliore
humor eò delatus, vel fuligo quandoq; tantum atra vligini ely-
chnij accensi similis, ligamenta replet: repleta enim tendines
comprimunt, & reliquas partes nervosas vicinas: qua compres-

B 2 sione

sione & dolorosa affectione soluitur continuum, & ita posita causa in actu, effectus ille molestus per propriam essentiam in actum quoque prorumpit. l. 10. d. comp. m. s. l. c. 2.

XXXVIII.

Differen-
tia.

Differentia à causis ad essentiam Arthritidis constituendam pertinentibus, forma, subiecto, & effectricibus haurienda.

XXXIX.

Ratione forma aliàs dolor immanis est, ut quando diu manet & figitur, Auic. 2. 1. dr. 1. c. 1. aliàs remissior, aliàs diuturnior, aliàs breuior, aliàs vagus, ut quando exacerbationes ab uno in aliud membrum feruntur.

XL.

Ratione subiecti, vel articuli omnes afficiuntur vel aliqui: sic si pedica more usum pedis impediat, dicitur podagra, si manibus infesta sit, Chiragra, & vel eius carpum vel externam partem, vel digitorum articulos & vincula.

XLI.

Sic si se summa nati implicet à parte lesa dicitur Ischiatica vel arthritis coxendicis: dolore ortum trahente vel ab ipsa iunctura, vel circa poplitem, vel etiam totum crus dolore vexatur, cum nerui à lumbis & osse sacro emergentes in crura ferantur. 2. meth. 2.

XLII.

Gonagra autem genibus est infesta, qui dolor eò acerbior esse solet, cum ἀρθρωσις omnium expeditissima, iustissimaque ut habet Hip. l. d. fr. imò firmissima, magnaque natura artificio elaborata.

XLIII.

Quæ species omnes cognitione & curatione penè eadem: affectis tantum membris differunt: nam prout varia est humorum procliuitas, & ut alie partes alijs imbecilliores aut laxiores

xiores existunt, ita humores modo in hunc, modo in alium articulum influentes arthritidem excitant.

XLIV.

Ab effectricibus. Arthritis alia qualitate, alia quantitate ledit: qualitate, & vel sanguine, vel pituita, vel sanguine solo, vel pituita misto, vel bile, rarissime melancholia: quantitate pro maiore vel minore cuiusque humoris affluentis copia, pro resistantia partis affecta, & superiorum transmissione.

XLV.

Quae humorum differentiae ac permistiones sedulo internosceda medico εὐχρηστον, ut curatu facilius sit, secundum Trall. II. C. I.

XLVI.

Ad διαγνώσιν τῆς ἀρθρίτιδος καὶ προγνώσιν nobis opus est. Signa. Gal. 10. meth. 6. 1. d. vic. ac. c. 3. igitur quae affecta partis naturam secuntur, inquirenda, sicut & id: differentias τῶν λυπέωντων χυμῶν deprehendi posse ait τῶν coloribus, tum symptomatis coincidentibus, tum experientia τῶν προσφερομένων φαρμάκων: ut iuuantibus, ledentibus. Signa igitur omnia colligenda, & in unum conferenda. τὰ γὰρ συμβεβηκότα παμπόλῳ συμφέρει πρὸς τὰ εἰδησιν, Arist. 2. d. an. 1.

XLVII.

Vtrum autem sit vitium hereditarium, an errore proprio acquisitum, ex aegri & assidentium sermone cognoscendum.

XLVIII.

Quod si signa indaganda humoris articulare morbum causantis: natura aegri siue temperamentum considerandum: nam quantum corpus à temperamento sibi appropriato recessit, in tantum magnitudo morbi vires adeptae est.

XLIX.

Sic si temperamentum calidius & humidius praedominium habere cognoueris, etiam fluxum inde sanguineum conijcies: si

pars affecta rubeat, vena paulum inflata & rubentes, calor mi-
tior patiens quoq; statim offenditur refrigerantibus & nimium
excalfaciuntibus. Si item splendidiore victu usus, εὐτεροφίμοις,
εὐχύμοις, ταχυτερόφοις, Si vino generosiore corpus oneravit.

L.

Ab exeuntibus. Si excernat urinam mediocris crassitu-
dinis & fuluam, qualis ferè sanguineorum esse consuevit.

LI.

Ab aetate. Si in vigore aetatis constitutus: si promptior fu-
it ad munia obeunda, ut sit ab adolescentia ad ἀγμὴν: Si item
tempus vernum, regio temperata: quæ omnia testantur fluxum
esse sanguineum.

LII.

Simili ratione indagabis fluxum biliosum: Si enim natura
fuerit biliosus, calor non ita mitis, sed δακνώδης καὶ ὀξύς Gal.
6. Epid. s. 4. co. par. 15. molestior ob doloris vehementiam modo
lancinans, rubor flauedine tinctus: febris quandoq; instante
paroxysmo succenditur, vehemens adest sitis, cura, vigilia, fati-
gationes, facultas ὀρεκτικὴ τῆς ἀποτυπώσεως & alia manife-
stabunt.

LIII.

Lotia quoq; sunt subflaua, subfulua, praesertim si coindiceat
tempus aestiuum, aetas, regio consimilis, vide Aët. tetrab. 3. serm.
4. c. 14. 15. 16. Paul l. 3. c. 78.

LIV.

Humorem pituitosum detegit, si nullus ferè appareat ca-
lor, color subter cutem aquæ assimilis, corpus uniuersum iusto fri-
gidius, habitus corporis ταχύπετος, paroxysmi diuturnitas: pi-
tuitosa excrementa quotidie demissa ad fauces, nares & partes
subiectas: tumor laxior. In chiragra & gonagra cum dolore
pulsatili: at nullus magna ex parte tumor conspicuus in poda-
gra nec sciatica.

Salsa

L V.

Salsa si pituita adsit, aderunt præter hæc tenus diæta, pruritus & quadam mordacitas: urinae modo crassæ, modo tenues & aquosæ.

L V I.

Si δυσκινητότης & ille χυμός, atra bilis in vitio sit (quod tamen rarissimè contingit) tumor nigricans apparebit, sensus frigoris affectis aderunt, tum circuitus exacerbationum quarto quoque die redeunt impetu & magnitudine mediocres, atas inclinans, ad senectam vergens, temperies frigida & sicca.

L V I I.

Sed & bono præfagio, cognita arthritidis essentia, modo non prorsus ἀέλπις & ἡ σωτηρία. II. meth. 9. dolentibus ob præsentia, timentibus ob futura succurrendum: operi igitur προγνωστικῶς utilisimo Medicus omni studio incumbat, cum sit honoratissimum sui, nobilitate, dignitate ac præstantia Medicum diuinum faciat. Prognostica.

L V I I I.

Dolor igitur, prout magis urget, arthritidem etiam magis periculosam efficit, cum quandoque ad syncopen ducat.

L I X.

Fluxus si fluxui misceatur, calidus frigido, frigidus calido, tum caloribus & coloribus, paroxysmisque permistis, vitium hoc, ut agrè sic dignoscitur, ita difficilius etiam sanescit, Paul. l. 3. c. 78.

L X.

Qui in senectute tophos aut callos vario humore compacto prouenientes in articulos induratos habent, aut laboriosè vitam tolerant cum alio sicca: ἔτοι μὲν πάντες ἀδύνατοι ὑγιέειν γίνεσθαι αὐθροπίνῃ τέχνῃ, teste Hip. l. 2. præd. s. 2. p. 73. an quia motus materiae & natura corporis tum maximè non sunt in nostra potestate: Et Gal. habet l. 10. d. comp. med. c. 2. μηκέτι ἐλπίσης εἰς τὴν ἀρχαίαν κατάστασιν ἀκριβῶς ἐπανελθεῖν δύνασθαι τὸν ἀρθρὸν: Sed
si iu-

si iuuenes tentarint, neq; callum induxerint, solui possunt.

LXI.

Eunuchi tempore Hip. podagra non laborabant: ut neq; mulieres nisi suppressis naturis: neq; pueri ante Veneris usum. 6. aph. 28. 29. 30. Nunc vero Venere exhausto robore, & in- explebili crapula sic adaucta: saepe fit, ut illi ipsi arthritide corripiantur, teste Gal. in com. qui & idem podagricos gulosos non curandos praecipit. lib. d. cur. per sang. miss.

LXII.

Sic Seneca in epist. 95. lib. 5. inuehitur in mulieres libidinofas & luxuriosas, quae virorum licentiam aequantes, damnatae sint etiam morbis virilibus, ac ideo effecerint maximum Medicorum ac naturae peritissimum in mendacio prehendi.

LXIII.

Quamuis autem liberatu & sanatu difficilior sit hic affectus, tamen eodem non est malum αἰματόν, si modo principijs neglectis fluxiones diuturnae articularum robur non fregerint, ut podagra nodosa et lapidosa fiat, aut propter congenitam impotentiam naturalem ad sanitatem recuperandam aditus intercludatur, aucta mali vehementia: Breuius, si non obstet, μέρη & ἄρθρ.

LXIV.

Si respicias causam generantem, curatio quoq; erit difficilior si maior essentiae vehementia, ut si e.g. cerebri tanta sit intemperies, ut semper noxia propellendo ad partes infirmiores malum augeat, inde obstruens illa materia admodum est copiosa, crassa, viscida, ut nequeat à subiecto diuelli.

LXV.

Parum & illi ab arte adiuuantur, qui à semine vitioso prognati sunt, seu iure hereditario hoc malum acquisuerunt. Gal. 6. aph. 28.

LXVI.

Quibus diuturno dolore Ischiadico vexatis, femoris caput
cox. 6

coxa excidit, ijs femur contabescit, & claudicant, nisi urantur.

LXVII.

Indicationes à sequentibus scopis ducendi: siue corpus ab arthritide præseruare, siue curare velis: *Ἀγὶ γὰρ ἐνδείξεως ὅπαντα γίνεται ἢ θεραπευτικῆ μέθοδος* 2. meth. c. 7. Indicationes.

LXVIII.

Dolor mitigandus. Anodynum, si exacerbatur dolor, adhibendum, quod indicabitur à calore naturali & temperamento partis, dum enim hæc seruantur, seruat etiam virtus robusta. Anodynum sit vacuans, digerens, rarefaciens, concoquens, æquabilem reddens materiam in illa parte residentem: *τὰ γὰρ ἐναντία τῶν ἐναντίων ἀναρρητικά.* Gal. 7. meth. 3. & 12. Hip. d. flatu.

LXIX.

Et cum causa morbi sensim introducat morbum, ab initio illi cause validioribus instandum contrarijs: sic succi vitiosi in venis scaturientes pro præcautione articularis morbi vacuandi ad exemplum Gal. 10. s. l. cap. d. Ischiade. & 6. aph. 47. Humor frigidus & pituitosus concoquendus, compactus, attenuandus, respiciendo simul ad partes transmittentes, ut si caput transmittat vel hepar, cephalica & hepatica sunt adiicienda.

LXX.

Affluxus humorum in pedes vel alios articulos confertim irruentium repellendus & restringendus, & si facultas crebris fluxionibus labascit, astringentibus utendum medicamentis: alioquin reuellendus & auertendus ad naturæ vias consuetas. Gal. l. cit.

LXXI.

Si ad nobile fertur membrum, aut reuocandus aut aliò transferendus perpetuò est: & si materia fuerit acris & mordax, attemperanda ac mitescenda.

LXXII.

Premissis vniuersalibus purgandum per apophlegmatismos, errhina, cucurbitulas & similia.

C

Fluxione

LXXIII.

Fluxione cessante ad topica progrediendum vim discutien-
di & resolucendi habentia : & ad euacuandum id, quod in arti-
culos est influxum & influxurum.

LXXIV.

Articuli abhinc corroborandi & pramuniendi ijs. quae sti-
mul vim habent corrigendi humorem, iuxta cuiusq; naturam
& conditionem, ne facile iterum assuescant ad fluxiones à par-
tibus superioribus recipiendas.

LXXV.

Si hepar & ventriculus in vitio, fomentis, linimentis, ce-
rotis foueri poterunt : calida quoq; & ipsorum robur seruantia,
interdum initio sunt sumenda.

LXXVI.

Exercitatus autem & prudens Medicus, cuiusq; indicatio-
nis potestate considerata omnibus inter se collatis, quae agro pro-
futura sunt, prospiciet, habita ratione fluxus: potissimum tamen
respiciendo ad vires & morbi vehementiam : si enim vires
membri mandantis, & recipientis nec planè debiles, nec firma
omniò, sed permittunt cum quadam moderatione fieri, quae di-
ctat curandi ratio, ita moderari tem oportet, ut nec morbum
nec virtutem contempsisse videamur.

LXXVII.

Curatio.
Auntalian. Ab affectu ad materias praesidiorum perueniendum, ut
docet Gal. 11. meth. med. 3. suntq; in triplici differentia : τοσοφω-
λαξως gratia à rebus non naturalibus dictis exorsi facienda et
fugienda indicabimus.

LXXVIII.

Aer cum ad elaborationem & materiam generationis
spirituum conueniat 12. meth. 5. eligendus σύμμετρος & ratione
morbi, cum sine eo nec tolli morbus, nec teneri sanitas queat. 9.
meth. 13. & 14.

Et

LXXIX.

Et cum in omnibus morbis chronicis magna spes sanationis ponatur in conuenienti victus ratione: primaq; remediorum materia ad ἰσπεψίαν referenda, cuius beneficio succi crudi & picuitosi generatio & in corpus distributio cauebitur: si in alijs certè in hoc affectu tritum illud Medicis locum hic habebit: quò simplicior victus ratio, eò natura conuenientior. Et Caelius quoque l. 13. c. 25. scribit: multos articulari morbo sanatos, cum ad simplicem mensam & pauperes cibos descendissent: quò pertinet præcept. 6. d. tu. san. 1. de att. vict. rat. 1. Etenim ciborum copia nulli conuenit ætati, sed potius multorum corpora ad perniciosas deducit ægrotudines.

LXXX.

Sic experientia comprobat diuites podagricos luxui deditos, otioq; & delitijs affluentes, pauperes factos, victu instituto parco & frugali, exercitijsq; conuenientibus calorem vitium suscitantes à podagra vindicatos esse.

LXXXI.

Panis sit benè pistus, oculatus, non recens, nec tamen triduo multum vetustior, sed & famem, habita ratione virium pro vincenda cruditate, tolerare non prorsus infrugiferum.

LXXXII.

Potus sit vinum album, Rhenanum, vel subrutrum tenue, utrumq; moderatè dilutum, quod pro affectiōne morbifica permittitur aut prohibetur: Aegineta quoq; l. 3. c. 18. generali præcepto τὴν ὀλιγοποσίην præcipit, καὶ ἀνίσχῃ τῆς δίψης, ἐφ' ὅσον ἐγχεσθῆ: vide Gal. 6. d. san. tu. 14. Trincauell. d. cur. aff. lib. 12. cap. 2.

LXXXIII.

Caponum & Gallinarum usum frequentem Medici tanquam valdè noxium podagricis damnant, cum multi sint nutrimenti, & copiosum generet sanguinem.

LXXXIV.

Cauendum & ab omnibus *δυσώτοις*, fumo induratis, sole exiccatis, embammatis plerisque, pluribus & varijs diuersarum facultatum cibus ex decreto Aegin. l. 1. c. 73. nam humiditatem natiuam adimunt, & praterquam, quod difficulter coquantur, crassos etiam, adustos, salsos siccosque humores producant: neque enim nociua miscenda utilibus, cum utilibus solis absque nociuis liberè uti possimus.

LXXXV.

Computationes fugienda: nec exorbitationes poculorum in multam noctem protrahenda: nam non modò potus ex vino praesertim largior, immoderatè haustus calorem naturalem suffocat, & adeò destruit, ut tantam alimentorum molem neque concoquat, neque regere valeat: sed caput vaporibus replet, totum corpus per accidens infrigidat: Cerebro, spinali medulla, neruis, neruosisque partibus maximè nocet, articulorum dolores excitat, non alia de causa, nisi quod cerebro maximè incommodent.

LXXXVI.

Vina Vngarica & Austriaca vitanda, quae certis in locis ex natura soli, vel quacunque alia de causa aliquid vitij in se continent, pernitiemque & incommoda varia neruis & corporis articulis inferunt, & non tam manifesta caliditate, quam occulta proprietate totum corpus debilitant, & quasi eneruant, atque adeò affligunt, ut plures arthritici, resoluti & conuulsi vix reperiantur, quam ijs locis, ubi vini illius immoderatio est usus.

LXXXVII.

Sic D. D. Neuius in consilio quodam suadet arthritico, ut a vinis Morauicis abstineat, cum neruis sint nociua, & teste Capiuac. vinum (in constitutione voregã) soleat precipitare materias, irruentibus humoribus, ad membra resistere minus valentia.

LXXXVIII.

Sanguinis & spiritus immoderati motus cauendi, cum sint instrumenta, quibus facultates animae perficiuntur. 2. d. sympt.

sympt. c. 5. et omnes hæ res non naturales dictæ dextrè adhibita
proderunt, sinistrè verò oberunt. Hip. l. d. arte. Gal. 6. Epid. 5. c. 1.
arte med. c. 85. *ῥόνοι ἔν, σίτη, ποτά, ἀφροδίσια, πάντα μέτρια :*
nam artus & iunctura non melioribus confortantur, quàm ab-
stinentiâ ab inordinata Venere, vino & animi vehementiâ.

LXXXIX.

Vena secanda, si indicatio adest. Gal. 13. meth. med. 6. in- *ἡδεύειν.*
cursus scil. humorum irruentium: *καὶ εἰ πληθωρικὸν τὸ σῶμα,*
10. d. comp. medic. 2. quantū habitus viresq; corporis admiserint.
In podagra dextri pedis venam cubiti dextri incidimus, in sini-
stri, sinistri: Gal. venam poplitis sinistri, cum dexter pes affici-
tur, secat.

XC.

Intemperantes autem, vinososq; ac Veneri, gulaq; deditos,
neq; purgatione, neq; sanguinis diminutione magnoperè adiu-
ueris, d. cur. p. sang. miss. c. 7. nam redit labor actus in orbem: cum
per vitæ intemperantiam crudorum humorum copiam ocysimè
coaceruent.

XC I.

Sanguinis missio ex cubito in podagra inicitur precautionis
gratia: quia in his & similibus fluxio ad distantissimas partes
auertenda: nam natura sic assuetæ distantissimæ parti manda-
re dissuescit à priori & praua consuetudine, sicq; à parte affecta
distrahuntur humores, ut facilius sistatur impetus humorum
fluentium, commoto contrario impetu, & consuetudo consuetu-
dine pellatur, *δεῖ γὰρ καὶ εἰ τὰ ἀσυνήθη μετὰ βάλαν. 2. aph. 50.*

XC II.

Ad *Φαρμακείαν* procedentes, non sat est nouisse partium *Φαρμακω-
τικῆ.*
affectarum naturam ac conditionem: imò & affectus speciem,
nisi & medicamentorum vim exactè noscat: *καὶ γὰρ τὸν ἰατρὸν
ἐσόχαδαι μὴ μόνον τῆ ποιῆ τῆς Διαιτήσεως, ἀλλὰ καὶ τῆ κατ' αὐ-
τὴν ποσῆ. Gal. 3. d. comp. s. g. c. 3.*

XC III.

Vacuatio autem illa per *Ἰνίρασι* τῶν *μοχθηρῶν* χυμῶν,
C 3 VI

ut 2. aph. c. 17. vocat in articularibus morbis, & alijs grauiori-
bus affectibus tuta & utilis, cum expediat singulis diebus ali-
quid medicamenti sumere, ut citra facultatis noxam, quod in
penitioribus locis situm est ac infarctum exhauriatur: ea quan-
titate, quae ferè causa magnitudini respondeat.

XCIV.

Et quamuis ob pertinaciam huius mali opus sit frequenti-
bus medicamentis, tamen continuis vacationibus praeter id,
quod corpora plurimum leduntur, in malam etiam trahuntur
consuetudinem: calorem enim natiuum pessundant, membra
ipsa coctionibus destinata debilitant, ut paulò post non minus
peccantis materia intus colligatur, quam purgatione ademptum
sit, si tamen affectio maius minatur malum, uti cogimur: dissi-
militer in alijs.

XCV.

In praeservatione cauendum maximè à medicamentis, quae
à longinquo vel ad articulos trahant humores: praeterquam e-
nim quod humores nullam à virtute huiusce medicamenti reci-
pian gratiam, incautior eorum vsus quoque saepe paroxysmum ad-
ducit. Actio igitur paulatina praeter viam, quam praestat ad ve-
ram affectus notitiam, minus laedit, & tutius vitium corrigit,
sed & securius trahuntur humores à partibus, quam ijs, quae con-
fert im sunt.

XCVI.

Inde illi maximè à vera curationis norma aberrare vi-
dentur, qui statim initio pilulis vtuntur arthriticis: nam ex-
purgantibus calidioribus vim commouendi habentibus, maiores
conciantur fluxiones & dolores: primò autem omnium respici-
endum ad humorem peccantem exterminandum. 2. agendum
medicamentis partem affectam respicientibus, ut Gal. manifestè
l. 1. aph. c. 24. probat.

XCVII.

Vomitus praecautorie mirum in modum prodest praecipuè in
scia-

sciatica, Alexander Benedictus l. 18. c. 10. Si. n. non à ventriculo per vomitum reuulsio fiat, paulatim is humor, qui in articulos et partem affectam solet delabi, succrescet: sed tum mali fomes cessat, sicq; plures paroxysmos euitant, vel mitiores reddunt.

XCVIII.

Hirudines si parti dolenti applicentur, sine vlla molestia & iactura virium leuamen asserunt. Hamorrhoides si commodè fluant, arthritidi sunt remedio, quod si vernalis vel autumnalis suacuatio non profuerit, & intumuerint, aperienda.

XCIX.

Donatus ab Altomari maximoperè prædicat vinaccorum usum tanquam saluberrimum remedium ex dulcibus viuis expressorum, præloq; ubi prius cum eorum musto efferbuerint, pressorum.

C.

De Thermis etiam disputant illustres Medici: Landecenses à moderatis tempestiuè adhibita in cura podagræ curabilis plurimum conferunt, propter cupream venam, articuli & calor naturalis robur acquirit, humorumq; reliquia consumuntur. Modus utendi secundum firmitudinem virium aestimandus.

CI.

Thermas Hirschpergenses valdè commendat Crato, cum urinam validè citent, hinc podagrici & Ischiadici benè prius purgato corpore ad has thermas mittuntur, ut potè reliquias à partibus debilioribus auertant, easq; per aluum & urinam educant, deinde ut in seissione quoq; membra debilia roborentur: & hæc quidem ratione bituminis & sulphuris emolliunt & discutunt etiam tendones scirrhosos: ob alumen verò et ferrum astringunt & corroborant, ideo & qui fluxionibus obnoxij ad scapulas vel spinam, efficacissima.

CII.

Et quidem experientia constat, quosdam potu thermarum
Hirsch-

Hirschpergensium à colicis & articularum doloribus integrè sanatos esse.

CIII.

Therma Carolina, cum calida & sicca usque ad tertium gradum, non mirum, si multi arthritici spe sua frustrentur, & pro sanitate acquirenda corpus magis vorare efficiant: cum calore suo potius maiores concitent fluxiones ac promptius cogant humores in articulis recipi propter mollitiem ac dilatationem ipsorum: vehementibus tamen & penè deploratis neruorum morbis, & robustioribus tantum corporibus illas conuenire putandum: nitrosæ enim valdè: perdunt potius articularum doloribus oppressos.

CIV.

De inunctionibus à quibusdam adhiberi suetis, addo præcellentis Medici Cratonis iudicium c. 121. p. 650. Hoc affirmo (inquit) me inunctiones chymicas (in podagra) toto pectore auersari: cum eiusmodi medicamenta calori naturali non sint ἀνάλωγα: itaq; ledunt, & vim naturæ inferunt: neq; enim congenitæ ferociæ mineralium & malignitati pedes injici possunt.

CV.

In iisdem consilijs sequentia leguntur. Vidi, qui oleo vitrioli hanc materiam consumere & exiccare conarentur, eò quod vehementissimè siccet & detergat, & initio sanè iuuamentum percipiunt ægri, cum inter utendum ventriculum astringi, auidius appetere, & fluxionum materiam minui sentiunt, sed tandem cachecticos euasisse scio: & sanè suspecta est vis caustica, quæ remanet in oleo, etiam iuxta Paracelsi doctrinam parato. Qui igitur assiduè hoc oleo utuntur, etsi per aliquot tempus de bonitate appetentiæ & fluxionum exiccatione sibi gratulentur, ad extremum tamen, & tempore procedente, nocumento ventriculo & reliquis membris illato cum gemitu agnoscere coguntur.

CVI.

Dolorem mitigant leporum pelles: nam præter id, quod suâ lenitate

leuitate nullum prorsus incommodum adferunt, præstant etiam
celebriorum autorum testimonijs ad roboranda vniuersa corpo-
ris membra: Maniantur igitur loca affecta pellibus leporum;
plantis pedum arthemisiæ & absinthium supponi potest: ut &
fomenta sunt addito origano, chamomilla, sed paroxysmo finito.

CVII.

Item pulmentum ex radicibus althææ in puluerem reda-
ctis, atq; in lacte decoctis, loco affecto & dolenti adhibeatur.

CVIII.

Dolorem podagricum sedat, & citò ad maturitatem per-
ducit, si vitellus oui misceatur vino, vel sumatur pultis è me-
dulla panis albi aut farina triticea, addito modico croci, &
vitellis ouorum aut oleo subactæ instar cataplasmatis.

CIX.

Caprini stercoris pilulas cum aceto impositas efficacissimas,
(efficaciores quam sinapi) maximè in coxendicum doloribus præ-
bat Eustachius Rudius.

CX.

Si materia pituitosa & ichorosa est in vitio: nihil magis
sudore prodest, dum modo materia nondum concreuerit. Crato
in omnibus serè epistolis, ubi de arthritidis speciebus agit, utile
dicit multum excernere vrina p. 961. Item, pro podagra non est
præstantius remedium, quam quod vrinam mouet, & sudores
ciet p. 984. & alibi.

CXI.

Et cum utilissimum podagricis sudare manè in lecto as-
suescant: ita enim quicquid vitiosi humoris disseminatum est
per nervos & articulos, sensim digeritur & absorbitur: aut si
vapor corpus concalescerit, statim se in lectum conserat: ut a-
tur rasura C. C. Eboris, & similibus corpora ad sudorem dispo-
nentibus: nam per hæc natura sibi viam ad salutem quarit, &
morbum ad exteriora conuertit.

CXII.

D

Gallo

Gal. Theriaca vsum conferre ait in podagricis & arthriticis passionibus: quia desiccatur, consumitur, & obtundit materia virulentiam; & Gordonius ante eius vsum corpus preparare & perpurgare iubet; tum enim etiamsi virus arthriticum dolores etiam intolerabiles inueheret, ut mali magnitudo artem superare videretur, mitigatiores reddit.

CXIII.

Quod si propter materia crassitiam sudor prouocari nequeat: quod forte in acutis commodius fieri potest, ex humorum tenuitate ortum trahentibus; quique minori negotio resolui, ac in halitus naturam conuerti possunt: quam vacationem natura in his sepe molitur: ars etiam sit emula natura, 2. Phys. 2. corpore nimia humiditate scatente, humores crassi paulatim ac per vices attenuandi & expellendi: Et si vis expultrix debilis, viarumque angustia obstet, quo minus quid effluat sensui manifestum, simul que vim habent laxandi ac aperiendi meatus, virtutemque corroborandi, blandè sudore euocato, pro cuiusque corporis dispositione, adhibenda, ne natura vehementi auxilio lassata succumbat.

CXIV.

Cum Ludouico Mercato quoque utile censeo, concocto & preparato humore, medicamentum à quam plurimis commendatum, ad perpetuum morbi articularis auxilium in eliciendo sudore. R2. Herba chamædryos parum resiccata, incidantur folia & decoquantur, quantum coctionis vinum sustulerit: ex quo sumere expedit cyathum vnum, commixtum stillatitio liquore eiusdem herba, quing, horarum spatium ante cibum, corpore prius decenter munito.

CXV.

Chamæmeli item decoctum magnam habet efficaciam in sudore promouendo in ijs, qui ex perfrigeratione viscerum doloribus affliguntur: & in eodem casu in utilissimum venit vsum Angelica decoctum, ut & alia plurima, teste eodem.

Veteres

CXVI.

Veteres commendarunt lac asininum & serum eiusdem. Plin. lib. 28. c. 9. & autor ερωτογ. lib. 3. c. 248. Celsus lib. 4. c. 21. Hol. 5. aph. 64. Ex asininis quoque ossibus Guainerius efficax medicamentum parare docet. Gal. ossa humana combusta in pollinem redacta extollit. de s. m. f. c. 11. Seri etiam caprini usum in praeservatione quidam Recentiorum praedicant certo modo preparatum: in eoque infusis sol. betonica, salvia, Iua, borrag. &c. pro conditione humoris peccantis.

CXVII.

Experimentum de ligno Iuniperino adhiberi potest, & de artemisia, quo multi salutariter utuntur, teste Iasone & Mizaldo, & in eo aliquot diebus lauant, & maxime laudatur ad corroborandos articulos, & quidem etiam in tumore adematoso à podagra residuo.

CXVIII.

Aqua etiam sequens magnificienda ad fluxiones podagricas. R. Aquae urticae ℥j. Endiuia, portulaca, solani an ℥ss. Croci or. ℥ij. Muccilag. sem. psyllij extr. c. aqua portulaca ℥j. Imbue linteum & appone calide vel tepide.

CXIX.

Pulvis podagricus Donzellini (pulverem Iouis vocant) à Rec. valde celebratur, R. Chamadryos, Chamappteos, Iua arthetica, Centaurei minoris. Rad. Aristoloch. rot. Salvia, betonica an. q. v (alibi addit gentianam) Ligni guaiaci opt. maturi & nigri quartam partem. Singula seorsim conturbandantur & redigantur in tenuissimam pulverem diligenterque misceantur: dicit idem autor, hoc uno remedio perfectissime curatur podagra, nisi quis victu immoderatiore velit capere. ερωτογ. lib. 3. c. 248.

CXX.

Conuenit serè cum Electuario antipodagrigo Cratonis. R. Aristoloch rot. Gētiane a. ℥ss. Dictamni cretici. Agarici albißimi & leuissimi. a. ℥ij. Succini albi prep ℥vj. Ras. Eboris ℥j. Rasura

C.C. vsti ℥ij. addito Rob ex acinis sambuci, fiat Electuarium: vel
in aqua Veronica sumat ℥j. & sudet: summè predicatur à Cra-
sone, & multoties se hanc Medicinam expertum esse ait.

CXXI.

Electuarium quoque iuncturarum dolores subito & sine
molestia soluens, ignitum calorem extinguens, & membra pati-
entis contemperans, describitur à Petro Bayro praxi sua lib. 18.
c. 1. quod appellat carycostinum.

CXXII.

Antidotum etiam familiare & millies expertum tempo-
re wes Pulcrissimis Antonio Gallo, cum summopere extollat ad-
dere placuit. ℞. Valeriane ℥j. Agarici ℥ij. Mei ℥ij (eius loco
qui putant deficere, sumunt duplum spicanardi) Sem. petroselinum
macedon. ℥ij. hyperic. ℥v. gentiana ℥vj. Aristoloch. ℥vij.
Centaurei ℥vij. Chamadryos ℥ix. humanorum ossium ex arti-
culis extractorum modicè resicatorum ℥x, cum oxymelle squil-
litico fiat Electuarium: dosis ℥j omni mane.

CXXIII.

Catellum quoque quidam apponunt pedibus felici successu:
nam hac ratione difflatur & digeritur materia, ut interdum
mori sit animaduersum.

CXXIV.

Mirum in modum mihi arridet Quoniam de te-
studine masculina, cuius mentionem facit Reinerus Solenander
in consil. sect. 1. consil. 20. modum preparandi & applicandi ibi
docet. Additur quoque: varia & multiplex curatio non fuit ex
usu nihilque profectum: tandem hoc experimento certissimo ad-
hibito paulatim genua, que humore mirum turgida fuerunt,
desederunt, ceterique pedum articuli detumuerunt, adeo ut iam
membra agilia sine scipione leuarentur: cui rei quoque fidem
facit Alexander Trallianus lib. 7. c. 13.

CXXV.

Ad

Ad inueteratos coxendicis dolores & podagra compescen-
dos probata & familiaria descripsit remedia Iacob Douynes.
Arculanus, Matth. de Gradi & Arnaldus philonio etiam
utuntur, si nullis remedijs dolor cedat.

CXXVI.

Tagaultius in simili casu describit emplastrum ex Gal. lib.
I. κατὰ γένη : quo dicit nec melius nec presentius excogitari
posse; perspectumq; id fuisse in multorum curationibus, descri-
ptio est haec: R̄. Sen. sinapis. urtica, sulphuris, spuma maris,
Aristolochia rotunda & bdellij an. ℥j. Ammoniacy: olei anti-
qui & cere an. ℥ij. fiat emplastrum.

CXXVII.

Vulgus nunc in exacerbationibus dolorum indifferenter in
calidis & frigidis fluxionibus adhibet cretam subactam cum
aceto vini acerrimo instar cataplasmatum: & teste quidem Dio-
scoride, acetum podagricis calido sotu cum sulphure auxiliatur:
& quidem, quia acetum inflammationes articularum à bilioso
humore factas mitigat aut extinguit: at verò in internis affe-
ctionibus à frigiditate proficiscentibus, e. g. si gypsea pituita sit
in vitio, & sine iudicio applicetur, compinget adhuc materiam,
compactam concrecere faciet: & teste quidem Scaligero exer-
cit. 132. nervos praeterea laedet, articulos è sedibus suis conuel-
let.

CXXVIII.

Repellentia quidem à multis adhiberi consuetam non adeò
probantur, nisi summa cautione fiat, quod ipse Gal. docuit 13.
meth. 11. in coxendicum dolore pressis: nisi enim simul vel prius
commoda fuerit facta reuulsio à parte affecta, materiaq; sit
tractui contumax, & repulsioni inobediens, humor ille mali-
gnus coxae compagi altius infixus per spiraculis constrictis & con-
centratis cohibebitur, impingetur, partes vicinae rodentur, ex-
ulcerabuntur, seui cruciatus excitabuntur, procidit saepe sua
compage coxa, totumq; crus contabescit.

CXXIX.

*Multa insuper praesidiorum centuria à practicis assigna-
re (cum non sat uniuersalia nouisse; nisi quis etiam in particu-
laribus se exercuerit Gal. l. c.) & omnia huic negotio conuenien-
tia, unicuiq; Indiuiduo hoc affectu detento, faciendo periculum
sine periculo, dextrè applicanda Medici solertis Sapienti σοφασ-
μῶ dijudicanda relinquuntur.*

CXXX.

*Et ut natura morbi uehementia defessa, defatigataq;
liberius sese possit ab hoste recepto liberare & expedire: exhau-
sto mali fonte articuli firmandi pro articularum imbecillitate
radicitus euellenda: virtusq; roboranda pro uitanda παλι-
δγομῖα prioris aegritudinis: nec protinus ad intemperatiorem vi-
uendi formam redeundum: sed spe melioris valetudinis inducti
moderatiore victu deinceps obseruato, quotannis, vere & au-
tumno purgatio decernenda, quæ consuetum inuasionis tempus
anteuertat, aut ut saltem minus aut mitius euadat: ita procul
dubio si omnia secundum artem fecerit, licet non omnia ex voto
semper respondeant, Medicus tamen exercitatus abundè suo sa-
tisfecerit officio.*

PROBLEMAT A.

I.

*Vtrum Antecedentes causæ arthritidis secundum
Fernel. lib. 6. pathol. c. 18, tantum concitentur à capite
& non quidem à cerebro aut interioribus eius ventricu-
lis, sed tantum extimis partibus, quæ extra caluariam
sunt, & intra cutim: Et. An omnes fluxiones arthritici
tantum ex pituitoso, serosoq; & frigido humore origi-
nem trahant.*

II.

*Cur in arthritide ij, qui in exquisitissima victus ra-
tione viuunt, sæpius tamen in articulares dolores in-
currunt*

currunt & molestius ijs fatigantur, quàm qui non nihil
liberius viuunt. III.

Vtrum conferat sanitari aliquando, e. g. semel aut
bis in mense, inebriari. In qua sententia est Rasis lib. 4.
ad Almanf. cap. de reg. bib. Et Auic. in canticis d. reg.
vini & 1. Fen. 3. doct. 2. c. 8.

IV.

An rectè suadeant Medici ferro aperiendas thy-
mos siue marifcas, cum neruosa substantia neq; acria &
mordacia medicamenta, neq; vstionem aut incisionem
sine conuulsionis periculo perferre possint?

V.

Γαλαικὴ ἐν γαστρὶ ἐχέσθαι ὑπὸ τινὶ τῶν ὀξέων νεσημάτων
(e. g. pleuritide, peripneumonia, angina, Causone, Ery-
sipelate vteri, phrenitide & c.) ληφθῆναι, θανάσιμον 5.
aph. 30.

An, duabus indicationibus contrarijs præsentibus,
magnitudine febris foetum occidentis, tenuiq; victu in
acutis necessario, foetum ob alimentum defectum enecante;
hac intentione Medicus freretur vt saluet Matrem, abor-
tum causare, aut Embryonem vilo modo excludere de-
beat?

VI.

Variolarum & morbillorum causa materialis, vtrum
sint reliquiae quaedam excrementitiae τῶν κατὰ μηνίον, qui-
bus nutriuntur foetus in vtero matris, quæ omnium Ara-
bum est constans sententia: Auic lib. 4. fen. 1. tract. 4. c. 6.
Haly Abbas lib. 8. Theo. c. 14. Auenzoar lib. 2. Theor. tr.
7. c. 3. Rasis, Serapio & c: cum contrariū sentiant. Ferne-
lius 2. d. abd. rer. causis 12. Alexander Petronius lib. 1. d.
morb. gal. c. 8. & 9. Mercurialis lib. 1. d. morb. puer. c. 2.

Δόξα τῷ Θεῷ Ἀρχιάτρω τρισμεγίστῳ

curant & molles in faciebus, quoniam per se

liberantur.

Quia conatus est in faciebus, et in

diversis, et in diversis, et in diversis, et in

ad Alant, cap. de re lib. Et Ant. in re lib. de

vita, lib. de re, c. 1.

IV.

In re lib. de re, c. 1. et in re lib. de re, c. 1.

et in re lib. de re, c. 1. et in re lib. de re, c. 1.

et in re lib. de re, c. 1. et in re lib. de re, c. 1.

V.

In re lib. de re, c. 1. et in re lib. de re, c. 1.

et in re lib. de re, c. 1. et in re lib. de re, c. 1.

et in re lib. de re, c. 1. et in re lib. de re, c. 1.

et in re lib. de re, c. 1. et in re lib. de re, c. 1.

et in re lib. de re, c. 1. et in re lib. de re, c. 1.

et in re lib. de re, c. 1. et in re lib. de re, c. 1.

et in re lib. de re, c. 1. et in re lib. de re, c. 1.

VI.

In re lib. de re, c. 1. et in re lib. de re, c. 1.

et in re lib. de re, c. 1. et in re lib. de re, c. 1.

et in re lib. de re, c. 1. et in re lib. de re, c. 1.

et in re lib. de re, c. 1. et in re lib. de re, c. 1.


et in re lib. de re, c. 1. et in re lib. de re, c. 1.

et in re lib. de re, c. 1. et in re lib. de re, c. 1.

De re lib. de re, c. 1. et in re lib. de re, c. 1.









Inches 1 2 3 4 5 6 7 8
Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19

B.I.G.

Farbkarte #13

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black



ET PRAESIDE.
neses
De
RITIDIS
ATIONE ET
TIONE.

to Collegio Medico-
Academia Lipsiensis
sequendo.

à *M. l. 286^a*

O SCHILLIN-
. Philosoph. & Medic.
υζητησὶς subiecta.

27. Octobris.
vstonias. 1602.

*) 90
9

ipsia
COBI APPELLII.
NTZENBERGER
DEBAT.